Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31258
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

sive fracto voti ierosolimitani et voti visitandi limina
apostolorum Petri et Pauli et sancti Jacobi sic servat
Romana curia in litteris penitentialibus de voto ierosolimitano
patet de voto c. Ex multa et c. Ex super hiis Et aliqui
addunt votum continencie Item homicidium volun-
tarium vel de minori Item percussor clerici si lesio est enormis
xvii q. iiii Siquis suadente Item effractor vel com-
bustor ecclesiarum et locorum sacrorum post denunciacionem
de sen. ex. Tua et c. Conquesti Item falsarius litterarum
domini pape de crimine falsi c. Dura et c. ad falsariorum Item
excommunicatus a delegato pape cuius iurisdiccio expiravit de Nota cautelam
offi. dele. c. Prudenciam c. vi Et nota quicunque confitens
dicit se factum tale commisisse propter quod excommunicacionis sententia est
generaliter promulgata et absolucio sedi apostolice vel
episcopo reservata de quibus in pluribus locis novorum
iurium tunc semper confitens est ad superiorem mittendus
Et debet confessor habere cautelam talem quod ubicunque de-
lictum greve fuit ut enorme et ubi incidit difficul-
tas vel ambiguitas propter imperitiam sacerdotis
ut casus novitatem et ubi dispensacio est superiori
reservata semper superioris iudicium est inquirendum

Vel ex commissione superioris ubi non
si aliquis io non possit audire confessionem alterius
quia non habet iurisdiccionem in eum potest ei committi
per quemcunque habentem iurisdiccionem in eos qui audiendi
sunt ut per proprium sacerdotem sive episcopum sive papam
Si vero aliquis non possit audire quia non habet
execucionem ordinis non potest sibi committi ut confessiones
audiat nisi per eum qui hoc impedimentum potest removere
Et si committitur per proprium sacerdotem non propter hoc oportet
quod committat tali qui alias habet iurisdiccionem super ipsum
Sufficit enim quod hanc iurisdiccionem habeat committens